

11

# INSTITVTO ARCHAEOLOGICO

/ IMPERIALI GERMANICO

QVOD ROMAE CONSISTIT

SEMISAEVLARIA

IPSO VRBIS ROMAE DIE NATALI

FELICITER CELEBRANDA

/ REGIA ACADEMIA ALBERTINA

REGIMONTANA

GRATVLATVR

INSVNT HENRICI IORDAN LVDOVICI FRIEDLAENDER GVSTAVI HIRSCHFELD  
INSTITVTI SOCIORVM COMMENTATIONES

---

DATVM

REGIMONTIO

A. MDCCCLXXVIII



## I. DE VORTUMNI ET CONSI AEDIBUS AVENTINENSIBUS. SCRIPSIT HENRICUS JORDAN.

Vestrum est, qui Romae Instituti Germanici partes naviter tuemini, terrae illius frugiferae felicitis proventus continua cura observare, nos, qui domi vestris rebus favemus, hoc agimus, ut quodcumque litterae antiquae ad suscitandam populi Romani imaginem contineant, ea sedulo collecta in lucem protrahamus, neu patiamur vel minima per dispersionem perire vel sordibus obscurari. neque vero vos praeterit non unius hoc esse aetatis paucorumve hominum. scilicet post magnum Niebuhrium, cuius nomen publicis nuper incisum notis Romae manet semperque manebit, per annos iam quinquaginta arx vestra Capitolina non solum eorum studiorum, quibus veterum populorum historia universa illustratur, praesidium fuit, verum etiam humanitatis quae vocamus studiorum, quibus patria nostra praepollet, insigne decus et quasi lumen clarissimum. ob quam rem huius almae universitatis concilium professorum decrevit festi diei, quem vos celebratis, sollemnitatem non solum votis, quibus omnia laeta vobis futura auguramur, nuncupatis prosequi, verum etiam vel tantillum ad communis vestrum nostrumque operis summam contribuere: ut publico documento patefiat, ad ultimos usque imperii Germanici fines huius diei laetitiam coniunctam esse cum gravitate studiorum felicitatis nostrae gloriaeque parente.

Est autem quo videamur et vestris studiis inservire et nostrae dignitati consulere. nam cum quae ad historiam monumentorum urbis Romae pertineant doctorum multorum diligentia tam insigni collecta sint, pauca ut nobis relicta videantur esse, quibus illorum thesauros cumulare concessum sit, tamen nescio qui factum sit, ut testimonia quaedam gravissima quaeque quasi omnium oculis subiecta sunt, prorsus neglecta iaceant usque ad hunc diem. sunt autem eius maxime generis quod pertinet ad instaurandam aedium sacrarum usque ad mortem imperatoris Augusti factarum historiam. eorum cum unum alterumve alio tempore in eam sedem, unde avulsa sunt, restituerimus, per hanc quoque scribendi opportunitatem aliquod indicare nobis proposuimus quod paene mirifico casu adhuc delitescit. scilicet apud Festum haec extant in vulgus quidem nota, verum ad eam quam dixi historiam condendam a nemine adhibita (p. 209 Mulleriani exempli): *picta quae nunc toga dicitur, purpurea ante vocitata est, eaque erat sine pictura. eius rei argumentum est pictura in aede Vertumni et Consi quorum in altera M. Fulvius*

*Flaccus in altera T. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt* e. q. s. glossae initium usque ad illa *sine picturae* epitomator transcripsit: in ceteris deperdito veteris codicis quaternione decimo nunc fere Ursini exemplo standum est. nec sane praeter Titi praenomen substitutum pro Luci, quod requiri ipse Ursinus agnovit, ulla videntur in apographum vitia graviora aut interpolamenta inlata esse. iam primum imperatores illos fuisse M. Fulvium Q. f. M. n. Flaccum qui a. 490 de Volsiniensibus triumphavit et L. Papirium L. f. Sp. n. Cursorem qui de Samnitibus a. 461, de Tarentinis, Samnitibus, Lucanis, Brutiis a. 482, et Mommsenus noster libri de iure publico Romano t. I p. 394 ed. alt. significavit et ultro apparet. nam ne aut de M. Fulvio Flacco eo qui a. 631 triumphum egit cogitemus, satis cautum est eo quod uterque imperator dicitur antiquo vestis triumphalis habitu pictus esse; de Cursore illo vetere qui per annos 430. 435. 445 triumphos continuaverit quo minus cogitemus, sane quid obstat non invenio, sed hac ipsa nostra de templis uno eodemque tempore conditis disquisitione speramus fore ut abunde cautum sit. ac de his quidem aedibus sacris quod praeter hunc Festi locum et kalendaria omnis memoria evanuit non mirum est: periit enim annalium Livianorum ea pars, in qua de eis relatum fuisse non est quod dubitemus. simili casu aedis Pali deae a M. Atilio Regulo a. 487 votae neque multo post ut videtur factae notitiam testimoniis admodum obscuris ad nos propagatam esse nuper Ephemeridis epigraphicae t. I p. 231 demonstravi. addere debebam Ovidium solum innuere Fastorum VI 625 Summano per bella cum Pyrrho gesta aedem factam esse: nam cum *reddita templa* dicit minime voluit relectam aedem significare. sat certa igitur coniectura videmur nobis stabilisse pictos esse Valerium Flaccum Cursoremque Papirium habitu triumphantium in aedibus quas post actos triumphos ipsi de manibiis faciendas curaverint. sed kalendariorum de aedibus Consi et Vortumni memoriam recolamus. ac de illa quidem ad d. 21 Aug. haec ascripta sunt: *Conso in Aventino sacrificium* (Vall.), ad d. 12 Dec.: *Conso in Aventin(o)* (Amit.) — est autem ille dies Consualium primorum, hic a Consualibus alteris quae die 15 Dec. fiebant duobus diebus interiectis distat —, de hac ad d. 13 Aug. solum talia exhibentur: *Vortumno in Aventino* (Amit. et Allifani fragmentum nuper repertum Eph. ep. III, 85); *Vortumno in loreto maiore* (Vall.). docui nuper Ephemeridis citatae t. III p. 62 sq. kalendariorum auctores sermonis proprietatem ea constantia servasse, ut quod *in Aventino* Conso factum esse testentur, ad sacrificium *in circo* factum ad aram dei notam nullis machinis possit revocari, contra Vortumno quod testentur *in Aventino* et *in loreto maiore* factum esse, id ne posse quidem de diversis locis intellegi: loretum enim sive lauretum in Aventino extitisse constat, duo autem Vortumni templa in Aventino si fuissent, sane alterum vici in quo situm esset nomine alterum regione nuncupatis quasi per ambages significata essent, id quod apparet auctores kalendariorum pontificiae loquendi severitatis sequaces sedulo vitasse. Vortumni igitur aedes Aventinensis a M. Fulvio Flacco a. 490 vota nec multo post d. 13 Aug. de manibiis facta est. — at dies natalis Consi Aventinensis utrum fuerit ipse priorum Consualium dies an alter ille qui secundis praecedit posse dubitari video: ego ita censeo. Consualia quoniam antiquitus facta sunt ad aram dei quae fuit in circo, nulla sacri huic deo die 12 Dec. facti ratio nobis quidem apparet nisi quod is fuerit natalis templi a C. Papirio Cursore a. 461 aut 482 votae nec multo post factae. — quare hunc diem natalem esse templi Aventinensis probabiliter

statuere nobis videmur. quodsi Festus eo perversitatis prodisse iudicari posset ut binorum templorum binorumque imperatorum nomina figurato et in tali narratione inepto genere dicendi ita invertisset, ut quam secundo loco nominaret aedem ad eam quod primo loco succederet nomen imperatoris pertinere vellet, huius disputationis fundamenta aliquatenus labarentur: sed non vereor ne quis talia sumat praeter necessitatem. illud quaeri poterit, cur Festus aedem Vortumni et Consi singulariter dixerit aedes duas his numinibus a diversis hominibus diversis temporibus et votas et factas quasque binas esse ipse testatus sit alteram ab altera certis vocabulis discernendo. nam in hoc quoque proprietatis, quam supra tetigi, genere antiqui scriptores perspicuitatis leges ita non neglexerunt, ut Vitruvi verba quae sunt libro III 2, 3 *in aede Iovis et Fauni* luculenter aperiant rem scitu perdignam, Faunum in insula cum magno Iove uno sub tecto quasi eius familiarem esse cultum (v. quae dixi in Comment. phil. in hon. Mommseni p. 362). qua propter ex illis Festi ne hoc quidem ratione certa effeceris, quod suapte natura commendari non nemini videatur, Fulvium Flaccum aedem Vortumni aedi Consi a Papirio Cursore in Aventino factae vicinam ac prisco ut utar vocabulo paene attibernalem esse voluisse in laureto illo quod fueritne etiam tunc silva laurea an excisis arboribus coaedificatum sit ignoramus (v. Topogr. mea t. I 1 p. 519). restat igitur ut aut Festum vitiose illa *in aede* post coniunctionem non iterasse arbitremur aut iterationem incuria eius qui codicem quive apographum perditum quaternionis exaravit perisse.

Praeterea videtis ex his quae exposuimus non nihil incrementi adferri ad historiam tam picturae quam religionum aevi illius misere mancam aliqua tenus sarcendam. et enim Fabium pictorem Salutis aedem pinxisse a. 450, Valerium Messallam in latere Curiae — hoc est secundum viam quae a foro ad Esquilias tendebat — tabulam proelii cum Carthaginiensibus et Hierone rege facti exposuisse a. 490 testis est Plinius naturae historiarum XXXV 19 ss.: in aede vetere Aesculapii quae usque ad Varronis tempora superstes fuit pictura visebatur proelium nescio quod exhibens adscriptis proeliantium nominibus, si quidem ferentiariorum nomen ascriptum se legisse prodidit Varro de lingua latina VII 57. quod genus picturarum aliquam umbram superesse in tectorio sepulcri Romae circa Sullae Mariique aetatem extracti, in quo foedus in ipso arcis hostium conspectu ictum compareat, nuper innotuit (v. Comment. citatae p. 358 sq.). denique eiusdem generis fuit picta a. 538 in aede Libertatis Aventinensi epulatio volonum a Sempronio Graccho manu missorum teste Livio XXIV 16. his igitur exemplis accedunt picti in aedibus Aventinensibus saeculo quinto exeunte imperatorum duorum triumphique pictique ni fallor ita, ut pompae aedificiorumque urbis imago quamvis rudi artificio facta in parietibus cellarum explicaretur, cuius artificii indolem siquis ad opera anaglypha eiusdem generis longe inferiore tempore facta informaverit, non vereor ne cupidius iudicaverit. illud contendo his similia potuisse ea aetate pingi neque veri esse simile imperatores illos solos in aedibus ab ipsis factis esse pictos habitu triumphantium: triumphatorem enim in curru consistere decet, currum autem qui pingeret non potuisse non et pompam et viam pompae adumbrare nescio an consentaneum sit. — sed ad religionum populi Romani historiam supplendam, qui fructus ex hac disputatione redundet facilius intellegetur, si aedium sacrarum quinto urbis saeculo factarum elenchum infra ascripsero, hoc est elenchi omnium quotquot ante mortem divi Augusti factae

sint, in quo condendo versor, partem detractis testimoniis. praeterea scito hoc loco me annos dedicatarum aedium adnotasse, ubi de eis nihil proditum est, votarum. aedes igitur factae votaevae a 450 *Concordiae* 452 *Saluti* 458 *Bellonae* 459 *Veneri* 460 *Victoriae* 462 *Aesculapio* inter aa. 473 et 480 *Summano* 482 (aut 461) *Conso* 486 *Telluri* 487 *Pali* 490 *Vortumno* 494 *Iano* 495 *Tempestatibus* 497 *Spei*. casu igitur factum dixeritis, ut imperatores Romani his potissimum numinibus illa aetate vota fecerint interque ea Consum Tellurem Palem Vortunnum artissima illos religionum societate coniunctos continuata paene per annos decem veneratione celebraverint? immo sponte intellegitis quam maxime hoc pertinere ad indolem priscam tam divinarum quam humanarum quae tum fuerint rerum populi Romani agnoscendam. scilicet praeter Saturni et matris Matutae antiquissima templa praeterque Opis in Capitolio Feroniae in Campo Florae in Quirinali, quae non sine causa sexto saeculo antiquiora habemus — nec morabimur Faunum Iovi sociatum in insula — equidem non novi, quae post quintum saeculum cultui deorum dearumve rei rusticae aut pastoralis patronorum publice dicata sint. ne multa: mirifice hoc concinit rerum conversioni omnium versus quinti saeculi finem factae, post quam altiores urbs Roma spiritus duxit.

Et haec dum scribimus eorum virorum, quos abstulit mors, pia grataque hoc die festo memoria redit, quorum otia, sive malis negotia Capitolina dicere, his rebus mirum quantum profuere. inter quos duo sunt nostri populares, quorum nomina et Instituti laudibus et memoriae studiorum in topographia urbis Romae collocatorum insolubili vinculo inserta sunt: Christianum Iosiam Bunsenum dico et Eduardum Gerhardum. sed hi dum Romae haec studia miro fervore amplectuntur, fuit qui eas partes, quas initio huius commentii dixi nobis, qui in Germania eisdem studiis incumbimus, esse explendas, tam praeclare explevit, ut et de vestris nostrisque rebus optime meritis esse praedicari debeat et conlegarum nostrorum natione Italarum, quorum circa res antiquas labores laetissimo eventu effloruerunt, praeconio nunc quoque concelebretur: Wilhelmus Adolphus Becker. quodsi magno operi a Niebulrio incepto per annos quinquaginta proximos producendo non defuerint, qui ad horum, quos honoris causa nominavi, exemplar properent, saecularibus vestris omnia laeta augurari iam nunc concessum est.

Restat quod felix faustumque salutareque vobis sit, ut et Genius loci, in quo consistitis, quem magni Iovis esse genium nuper cognovimus, et vero Genius populi Romani, cuius hospitio et amicitia fruimini, ne unquam desinant propitio numine vobis adnuere, ut sinceris ferventibusque animis conpreceamur.

## II. NOVAE OBSERVATIONES DE TITULO GRUTERIANO 337. SCRIPSIT LUDOVICUS FRIEDLAENDER.

Nuperrime omnes, qui in ludis circensibus describendis operam posuerunt, titulus Clementis aurigae advertit, a Comitissa Ersilia Lovatella, Instituti archaeologici sodali honoraria, editus et enarratus. Cujus dissertatio (Bull. della commissione archeol. comunale di Roma VI 1878 p. 164—176) *non tantum in sexus honorem legitur*: omnia enim ibi singularem antiquitatis Romanae et rei epigraphicae ostendunt scientiam. Unum est quod a femina clarissima minus recte intellectum esse putem: videlicet l. 16 non PRAEMISSus legendum esse censeo, sed PRAEMISSit, eodem sensu quo *praemisit et vicit* in titulo Muratoriano 624,<sup>1b</sup> legitur et in titulo Dioclis (Gruter 337 = Wilmanns Ex. Inscr. 2601) certa ni fallor conjectura a me restitutum est (Darst. a. d. Sittengesch. Roms II<sup>3</sup> 498). Etenim S vocalibus longis subjecta non modo Vergili aetate geminata est (quod testatur Quintilianus I 20,7), sed eam scripturam ne posterioribus quidem temporibus raram fuisse crediderim: qua de re cf. Corssen Auspr. u. Vocalism. I<sup>2</sup> p. 282 s. Nimirum si Clemens a ceteris victoriae competitoribus praemissus vicit, id ei honori duci non potuit: contra ea victoria commemoratione ante omnes alias digna visa est, quam ceteris praemissis reportavit. Hoc autem genus victoriae rarum fuisse et per se patet et confirmatur titulo Dioclis (cf. quae dixi Darstell. a. d. Sittengesch. Roms II<sup>3</sup> 498): minime igitur mirum est, quod semel tantum ita vicit Clemens.

Hoc titulo etiam id lucrifacimus, quod jam nonnulla quae in titulo Dioclis exciderunt, restitui possint, et quae adhuc obscura fuerunt, intellegi.

Ac primum didicimus in titulis aurigarum *ostio mlti* idem significare atque *certamini circensi interesse*. Apparet igitur, ut jam Ersilia Lovatella observavit, quomodo in titulo Dioclis explicandum sit l. 6: *missus ostio IIII. CCLVII*; quod me in errorem induxit; nam Bianconium secutus *ostio quarto* legendum esse credidi. Nunc videmus in lapide fuisse: IIII. CCLVII i. e. quater milies ducenties quinquagies septies.

Huic autem numero certaminum, quibus Clemens interfuit, necessario addendus erat numerus victoriarum. Eas fuisse scimus 1462. Ac vides hujus summae numeros extremos superesse in l. 7: C.LXII. Certo igitur certius est, initium l. 7 supplendum esse hoc modo: vicit ∞ CCC] C. LXII

Sin autem 4257 certaminibus Clemens interfuit, rationem non constare efficitur, quam ego inivi l. l. p. 497, ubi ex computatione certaminum quae l. 8 recensentur, coegi summam 5251. Qui error procul dubio inde natus est, quod 1000 certamina, quibus *ad honorem venit* Diocles, seorsim putanda esse putavi: contra quin hic numerus miliaris summa omnium victoriarum (1462) jam contineatur, nunc non potest dubitari. Quid significet *ad honorem venire*, etiam

nunc ignoramus. Sin autem de summa a me subducta (5251) mille deducimus, computatio efficit 4251 quod ad summam l. 7 positam 4257 proxime accedit. Facile autem alterutro loco sexis errore omitti aut addi potuit.

Denique nunc in aperto est, quomodo supplendum et intellegendum sit initium l. 10. Nam et hoc ex Clementis titulo comperimus, in titulis honorariis aurigarum indicatum esse, quem quaestum retulerint. Restituemus igitur hoc modo: Retulit (vel Omnino retulit) quaestum HS [CCCLVIII].  $\overline{\text{LXXIII}}$ . CXX. i. e. 35,863,120. Quae summa nequaquam pro nimia habenda est, quippe quae 1462 victoriis coacta sit, siquidem Clemens 47 victoriis quaestum retulit HS 1,558,346. Immo pro numero victoriarum longe minorem quaestum retulit Diocles quam Clemens. Nam ille quater et vicies fere tanto amplius pecuniae confecit quam hic: victorias reportavit fere semel et vicies tanto plures. Praemia autem pro difficultate certaminum valde diversa fuisse notum est: v. quae de praemiis maioribus dixi l. l. p. 486, 495 s., 502.

Haec scripsi Decembri anni superioris. Cum jam in eo esset, ut prelo traderentur, ad me adlata sunt, quae de titulis Crescentis et Dioclis scripserunt Otto Hirschfeld (Archaeol. epigraph. Mitth. II 188 adn.) et Theodorus Mommsen (Ephem. epigr. IV p. 247—252). Nunc cum mihi aliis negotiis distracto rem retractare non vacet, ea tantum tangam de quibus uterque v. d. aliter existimavit atque ego. In Crescentis titulo l. 16 Mommsen legit *praemiss(u)*, quod eodem sensu intellegi voluit quo ego *praemissit*. In titulo Dioclis autem l. 7 (de cuius supplemento Hirschfeld mecum consentit) hoc modo restituit Mommsen: [*pedibus ad quadri*g(am) *LXII, a pompa CX*. Quod mihi propter eas causas, quas supra indicavi non probatur. Etiam l. 6 Hirschfeldium verba *summa quadriga* (collato tit. Wilmanns 2599, 16) recte explicuisse puto: (summa summarum) quadriga agitavit annis XXIII; non Mommsenum, qui *summam rudem* comparans his verbis significari Dioclem putat.

In computatione victoriarum etiam Mommsen certamina quibus ad honorem venit Diocles in reliquis comprehensa esse putat; sed quod *ad honorem venire*  $\infty$  idem esse dicit atque *mille palmas complere sive ad honorem miliarii venire*, id probari non potest propter tit. Orell. 2594, ubi legitur: *ad honore veni* CCCLIIII. Ingeniose Mommsen explicuit *ad albatum viciit*: i. e. ab albato solo victus est (vel fortasse hoc modo ea certamina iudicantur, in quibus ambiguum mansit, uter vicerit). Num autem certamina bigarum l. 10 enumerata revera pro sex illis habenda sint, quae summae 4257 desunt, id nunc in medio relinquam. Ceterum recte observavit Hirschfeld, titulum post 146 positum esse. De reliquis alio loco dicam.



### III. DE CN. MANLI CONSULIS ITINERE EX PAMPHYLIA IN GALATIAM FACTO. SCRIPSIT GUSTAVUS HIRSCHFELD.

Cn. Manlius cum L. Scipioni consuli victoria ad Magnesiam reportata a. u. 565 vere successerit, et exercitum Romanum Ephesi a Scipione acceptum et quae Pergamena sibi adiunxerat auxilia contra Gallos Antiochi modo victi socios dirigere orsus est (Liv. XXXVIII 12 cf. Polyb. XXII 16). Sed recta via quae septem diebus Epheso Apameam (Polyb. XXII 24. Liv. XXXVIII 37 cf. Xenoph. Anab. I 2, 5 sqq.), quinque vel sex inde ad Gallorum fines perducit prorsus neglecta consul longis itineris ambagibus Cariam, Cibyratin, Lyciam vel potius Milyada petiit sola ut videtur praedandi caussa permotus. Ita diebus minimum viginti quatuor consumtis haud procul a Pamphyliae finibus — ut hic mittam priorem istam itineris partem — Isiondensium legati quorum arx urbe capta eo temporis momento a Termessensibus obsidione premeretur auxilium consulis imploraturi obvenerunt. *Volenti consuli* ut ait Livius (XXXVIII 15 cf. Polyb. XXII 18) *caussa in Pamphylia divertendi oblata est: adveniens obsidione Isiondenses exemit, Termesso pacem dedit, item Aspendiis ceterisque Pamphyliae populis. ex Pamphylia rediens ad fluvium Taurum primo die, postero ad Xylinen quam vocant comen posuit castra. profectus inde continentibus itineribus ad Cormasa urbem pervenit; Darsa proxima urbs erat . . . progredienti praeter paludes legati ab Lysinoë dedentes civitatem venerunt, inde in agrum Sagalassenum uberem fertilemque omni genere frugum ventum est. Incolarum pertinacia armorum vi fracta quamquam urbem in abscondito montium angulo sitam non tetigit Cn. Manlius progressus inde ad Obrimae fontes ad vicum quem Aporidos comen vocant posuit castra. eo Seleucus ab Apamea postero die venit. aegros inde et inutilia impedimenta cum Apameam dimisisset ducibus itinerum ab Seleuco acceptis profectus eo die in Metropolitanum campum, postero die Dinias Phrygiae processit, inde Synnada venit e. q. s.*

Quibus ex urbibus cum de Aspendi Sagalassi Apameae situ inter omnes satis constet, Synnada nuperrime reperta sint (vid. *revue archéol.* 1876 tom. XXXI pag. 190 sqq.), reliquae adhuc non innotuerunt ita ut consulis iter debito obscurius manserit. quod ad illustrandum et explicandum illarum regionum naturam ruinas locorum denique nomina hodierna consulere oportet. sunt autem praesto mihi praeter tabulas Asiae geographicas in publicum editas<sup>1)</sup> cum mea et Eggerti mei diaria a. 1874 in illis partibus scripta tum quam H. Kieperti amicitia

1) Inprimis dico magnam H. Kieperti tabulam a. 1844 sex foliis publici iuris factam ad quam et lectores relegatos volo: qua vel maiorem et pleniorum hoc ipso anno in lucem prodituram esse speramus. — Quae Waddingtonius scripsit *sur la campagne de Manlius* in *Mélanges de Numismatique et de Philologie* inspicere non licuit.

accepi tabula secundum mea et Augusti Schoenbornii praecipue itinera manu picta, quae nominibus adhuc ignoratis abundat. favetque in illis provinciis geographiae antiquae studiis, quod tot Graecorum vel minimorum locorum nomina leviter tantum immutata etiam nunc in ore hominum et in usu communi servantur<sup>1)</sup>.

Consuli autem ex Pamphylia in Galatiam festinanti duas tantum vias natura reliquit: aut occidentem versus per angustias Termessenses (τὰ Στενά apud Strabonem p. 631, 666 manetque hodie nomen vico *Istenaz*) redire et inde ea via progredi licuit, quam prius Alexander ingressus erat si fides Arriani descriptionibus (I 27 sqq.) admodum imperfectis — ne quid gravius de iis statuum —; aut per angustias Pamphyliae septentrionales exercitum in Sagalassiorum fines quos mox intrat ducere potuit. quam rectissimam viam a Cn. Manlio electam esse et per se patet et luculenter probari potest: nam quasi in portis angustiarum illarum mons et castellum ut videtur (v. C. Ritter *Erdkunde* IX 2 pag. 666) a Schoenbornio altero itinere a. 1852 sub monte *Katrandagh* tabulae editae reperta sunt, quibus nunc nomen *Eksily* inditum est antiquam originem satis redolens: et est sane *Xylina* ista *come* ad quam consul ab Aspendo ut videtur XXXX fere milibus distante profectus altero die pervenit. quae cum ita sint, Taurus fluvius ad quem primo die posuit castra quin idem fuerit atque Cestrus dubitari nequit, illis in montibus ortus, qui soli etiam nunc Tauri nomen (*Davras*) retinuerunt.

Quam deinde Manlius attigit urbem haud dubie maiorem Cormasa et in tabula Peutingeriana loco graviori inter Themisionium et Pergen Pamphyliae notatam reperimus et laudatam a Ptolemaeo<sup>2)</sup> necnon ab Hierocle qui (681 ed. Parthey) Pamphyliae quasdam urbes enumerat hoc ordine: χωρία Μιλναδικά, Ὀλβασα, Παλαιάπολις, Λυσίναρα, (eadem ac *Lysinöë* Livii) Κόμωνα Κόλβασα, Κρέμνα. Jam cum ab Hierocle magis quam in notitiis ordo quidam geographicus servatus videatur et ex recognitis Olbasorum<sup>3)</sup> Cremnaeque sitibus eluceat, auctorem hic ab occidente orientem versus esse progressum, Cormasa non tantum a Cremna abfuisse manifestum est: altera vero ex parte urbem Xylinae comae propius accedere Livii narratione edocemur: sunt igitur Cormasorum reliquiae eversa illa haud exiguae urbis antiquae monumenta a geographis Cretopoli et Termesso minori attributa<sup>4)</sup> quae ad vicum quem nunc vocant *Bademagatsch* septem

1) De professo vel ob ignorantiam dubitantibus ex innumeris oppidorum perparvorum exemplis praebeo haec minus nota: nominantur his nostris diebus

Seleucia ἡ σιδηρᾶ (Pisidiae) — *Selev*

Agrai (notitt. 10, 490 Parth.) — *Aghrās*

Baris — *Isbartā* (derivari debet ab eis *Bapīda*)

Conane — *Goinan*

Pugla — *Fulla*

Erymna — *Ormana* quo nomine et Turcice silva significatur: tales enim etymologiae ut ita dicam popularis ludi in illis partibus frequentiores. — Quibus addere liceat hodiernum Ephesi nomen *Ainsluk* certe nihil aliud esse quam corruptum Ἅγιος Ἀουκᾶς, cuius sepulcrum etiam nunc Ephesi ostendi posse somniant indigenae et cum his Woodius Anglus qui exploravit *discoveries at Ephesus* p. 58.

2) Lib. V cap. V 5 et 15 ubi Corbasis et Cormasis una eademque urbs intellegenda, quibus tertiam formam Colbasorum addit Hierocles.

3) C. Ritter *Erdkunde* IX 2 p. 691 secundum Schoenbornium, quorum mirifice nescii urbem primi detexisse sibi visi sunt Duchesne et Collignon Galli periegetae *bulletin de correspondance hellénique* 1877 tom. I p. 332 sqq.

4) A. Schoenborn, *Alexanders Zug durch Lycien* progr. Posn. 1848 C. Ritter *Erdkunde* IX 2 p. 708 sqq.

vel octo milibus a Xyline come, ipso in exitu angustiarum sita sunt quae ad Xylinen comen intrantur.

Deinde ut Darsa de quibus nihil adhuc enucleari potest praeteream, *paludis* naturam retinet lacus (*λίμνη* Polyb.) *Kestel Goel* dictus (v. C. Ritter *Erdkunde* IX 2 pag. 695), qui a Cormasis XI vel XII milibus distat, unde exercitus in agrum Sagalassenum per fluvioli *Ona-tschai* convallem XII fere milibus ductus est.

Quae sequuntur in Livii descriptione Obrimae fontes et Aporidos comen ab Apamea haud procul abfuisse inde merito colligi potest, quod eo et Seleucus postero die venit et consul ab Aporidos come aegros et impedimenta inutilia Apameam dimisit: quid, quod et Wrontschenko Russus periegeta et Eggertus meus in via planissima — duabus vel tribus horis ab oppido „*Ketschiburlu*“ tabulae editae — vicum hodiernum *Paradis* reppererunt qui XX fere milibus ab Apamea, XXII ab agro Sagalasseno distat? est et fluviolus prope *Paradis* qui subterraneo fortasse cursu sicut nonnulli alii in Maeandrum an incidat quod de Obrima Plinius (V 106) tradidit adhuc non liquet.

Ita a Pamphylliae finibus (*Eksily*) usque ad Aporidos comen consul tribus diebus pervenisse videtur, id quod Livius (XXXVIII 37) de itinere Manlii vere anni sequentis ab Apamea in Pamphylliam facto diserte affirmavit. ceterum in agro Sagalasseno consul dimidium fere diem perdidisse putandus est. ab Aporidos come (hodie *Paradis*) consul in campum Metropolitanum properavit quod in iter non totum diem impendisse videtur (v. Livium): ideo mihi persuasum habeo non campum nunc *Tchyl-owa* dictum, ut ipse quondam volui (*Abhandlungen d. Berl. Acad. histor.-phil. Cl.* 1875 S. 22) sed eum esse Metropolitanum, qui infra Apolloniam Pisidiae (hodie *Oluburlu*) porrigitur et ab Aporidos come collibus haud editis et XV milibus separatur. Sed utut res alio loco altius repetenda sese habet aut ager Apolloniatas aut qui *Tschylowa* nunc dicitur campus Metropolitanus haberi debet.

Diniaie Phrygiae quo postea processit consul aut a septentrione Apolloniae supra alterum campum (*Tschylowa*)<sup>1)</sup> aut in planiori situ prope lacum qui nostris diebus *Hoiranjoel*<sup>2)</sup> dictus a veteribus nusquam memoratur, quaerendae sunt; at haec res integra relinquenda. nam ducit quidem ex campo Apolloniate recta via XXXX fere milium ad Synnada nuperrime apud *Kassaba* magnae Kiepti tabulae reperta, sed utrum hanc ingressus sit consul an propius ad lacum in commodiori sed longiori via exercitum moverit eo minus diiudicari potest, quod Livius Manlium uno die Diniis Synnada profectum esse non asseruit; quamquam probabilius videtur. Paucis diebus post ad Galatiae fines perventum est.

Cn. Manlius igitur qui in priori itineris parte celeritatis minime studiosus huc illuc praedandi cupiditate aberraverit (v. Liv. XXXVIII 11 sqq.) e contrario a Pamphyllia Galatiam

1) Ad vicum *Tatarly*? vid. *Abhandlgn. d. Berl. Acad.* I. I. p. 23 not. ubi in fine inscriptionis legendum: *ἱεροσαμῆνην ἐπιφανῶς θεῶν Ἀστέμδος Ταυροπόλου.*

2) Immo an extiterit non pro certo haberi potest vid. C. Ritter *Erdkunde* IX 2 p. 481 cuius ignarus O. Bayet *Milet et le golfe Latmique* Paris 1877 p. 2 not. 4 antiquum lacus nomen haud opportune coniecit Aulocrenen fuisse, quam lacui vel potius paludi prope Apameam convenire vix est qui nesciat.

repentino cursu XX fere milibus in dies peractis et rectissima via petiit ita ut vel maximas urbes Apameam et Sagalassum de industria omisisse videatur, quamvis perpaucas tantum horas a via essent remotae; quod satis mirum: num consul fortasse iam in Pamphylia certior factus fuerit esse in senatu quibus illius expeditionis ratio minime placeret? (vid. Liv. XXXVIII 42) de qua et posterius quam male senserint eiusdem Livii verbis elucet (XXXIX 1 coll. 6).

